

TIALLINGI AB EYSSINGHA
NOBILIS FRISII L.C.
IN
INSTITVTIONVM
SEV ELEMENTORVM D. IVSTINIANI
SACRATISSIMI PRINCIPIS LIB. IIII.
BREVES COMMENTARIL.

QVIBVS VNIVERSA IVRIS PRINCI-
pia & fontes ex Iuris Auctorū libris, ac optimorum Philosophorum Scri-
ptorūque monumentis deprompti, & collecti proponuntur ut accū his.
Iustiniani Elementis conferantur.



FRANEKERAE,
Excudebat Ægidius Radæus
Ordinum Frisæ Typographus.

CIO. 15. XCIIII.

Esta conforme al expre-
torio de 1640. Por comission
del S^{to} Officio.

Jhs
San. de San.



COLL. SOC. IESV SALM. EX DONO REGVM

GENEROSO ET
ILLVSTRI DOMINO D.
GVILIELMO LVDOVICO, COMITI
NASSAVIO, &c. GVBERNATORI FRISIAE.

TIALLINGVS AB EYSSINGHA

ευζωϊαν κ; ευπραξϊαν.



COMMENTARIOS nostros,
quos ad Elementa Justinia-
ni ex omni literaria penu
depromptos summo studio
scripsi: eos tibi dare, dedica-
re, mihi visum Generose
Comes. Pietas tua me impulit, prudentia,
virtus, fortitudo etiam illa, quæ perspicua sa-
tis in tuenda libertate, patria, ciuibus. Nec,
arbitror, importunum aut inconueniens tibi
erit munus: quia dedi principia excellentissi-
ma scientia: quâ, concordia subditorum ac sa-
lus continetur: cuius ductu, gubernatione, fe-
lix ac firmum imperium constituitur. Tuba
te interpellant, scio, strepitusque armorum:
Nunquam tamen animus tuus ita praeliis de-
notus, ut non oculos idem, mentemque

TIALLINGI AB EISSINGHA FRISII I. C.
COMMENTARIUM IN
INSTITUTIONVM
SEVELEMENTORVM D. IVSTINIANI
SACRATISSIMI PRINCIPIS LIBR. I.

Proœmium.



PISTOLAM HANC IVSTINIAN. loco procemii præponit. Idq; ex sententia sapientissimi *Platonis* & *Caii* iurisperiti. Sermonum omnium, (inquit *Plato*^a) cæterorumque quibus vocis imitatio est, exordia sunt, & quasi quædam præludia, quæ artificiosam aliquam, & utilem ad rem dicendam, tractationem habent. Et *Caius*: Istæ præfationes, inquit, & libentiùs nos ad lectionem propositæ materiæ producant: & cum ibi venerimus, euidentiorem præstant intellectum^b.

IMPERATORIAM

Ait Imperator, *non solum armis*) Quibus reipublicæ salus continetur^a. Omnia enim latent in tutela, ac præsidio bellicæ virtutis^b.

Ait Imp. *sed etiam legibus*) Quæ vincula sunt ciuitatum^c. Vt enim corpora nostra sine mente, (inquit *Tullius*^d) sic ciuitas sine lege, suis partibus, & nervis, ac sanguine uti non potest.

Ait Imp. *oportet esse armatam*) Huic imperatoriæ sententiæ convenit Regium illud effatum: Quid est dignius (ait *Theodericus rex*^e) quod die noctuque, assidua deliberatione voluamus, nisi ut Rempublicam sicut arma protegent, æquitas quoque inuiolata custodiat. Atque hæc quidem omnibus numeris absolutum principem constituent. Quod elegantissimè testatur *Diotogenes Pythagoræus*^f: Perfectus ut rex sit, inquit, eum bonum imperatorem, & iudicem, & sacerdotem esse necesse est. Hæc namque virtutem, & maiestatem regiam comitantur, atque ornant. Nam ut gubernatoris munus est servare navim: aurigæ currum: medici agrum: ita regis, & imperatoris officium est, servare in bello periclitantes. Cuicumque enim rei quis

^a Lib. 4. de legib.

^b L. 1. in fin. de æ. rig. iuris.

^a Cic. li. 2. de nat. Deor. in princip.

^b Idem auctor in orat. pro L. Muræna.

^c Idem in paradox.

^d In orat. pro Cluentio.

^e Apud Cassiodor. lib. 4. var. cap. 6.

^f In lib. de regno.